



**Ethica Amoris, Sive Theologia Sanctorum, Magni
Praesertim Augustini, Et Thomae Aquinatis**

Circa Universam Amoris & Morum Doctrinam, Adversus Novitias Opiniones
Strenuè propugnata, Et In Materiis Principaliter Hodie Controversis
Fundamentaliter discussa

De Sacramentis In Genere Et Specie - Libros Octo Complectens

Henricus, de Sancto Ignatio

Leodii, 1709

Caput 9. Sancti Patres in hisce disceptationibus assumendi Judices.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-73212](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-73212)

et accedere, ait cum sanctis Patribus S. Carolus Borromeus. Quomodo operosissima, si necessaria ad id preparatio, vera utique contritio, plenaque cordis conversio, etiam post ingentia criminum, eorumque consuetudinem, frequentemque repetitionem, tam facile comparatur, ut Casuista illi opinantur? Veram poenitentiam, saltem post eiusmodi crimina, esse raram, Ambrosius, Pacianus, alique Patres attestantur. Quomodo rara, si tam facilis, ut sine praemissis laboriosa poenitentia operibus ordinariè comparatur, nec eiusmodi peccatoribus poenitentia magna in iungenda sit, ne quidem post abolitionem peragenda? Si ita est, vera est eiusmodi peccatorum persuasio, minimo negotio veram poenitentiam agi posse. Atqui persuasio ista veræ Christianæque poenitentiae magis exitiosa est, quam pestis corporali vita.

53 Porro vera poenitentia remedium est malorum omnium, humanæque infirmitatis praesidium unicuique, unica post lapsum, ad salutem via. Videte ergo quot malorum auctores eritis, si laxiora opina-menta illa sectando, in causa sitis, quod à lapsis vera non agitur poenitentia; quæ si non veraciter agitur, specieiue ipsius contentus peccator, veram se egisse patet poenitentiam, cum longè ab ea sit, sunt novissima hominis istius pejora prioribus. Quia spiritus nequam, ad eum rediens, à quo reverà non exierat, sed exire simulaverat tantum, adducit secum septem alios spiritus nequiores se.

CAPUT IX.

Sancti Patres in hisce disceptationibus assumendi Judices.

54 Isti sunt enim, quos Spiritus sanctus dedit nobis... Pastores, & Doctores... in opus ministerii, in edificationem corporis Christi... ut jam non simus parvuli fluctuantes, & circumferamur omni vento doctrine ad circumventionem errorum. Ephes. 4.

55 Isti sunt, ad quos Spiritus sanctus nos remittit Deuter. 32. Interroga Patres tuos, & annuntiabunt tibi. Eccli. 8. Non te pretereat narratio seniorum. Ipsi enim didicerunt à Patribus suis. Quoniam ab ipsis discis intellectum.

56 Isti sunt, de quibus Leo Magnus epist. 6. Frequenter quidem, in diversarum questionum ambiguo, fratrum corda turbantia, Spiritus Dei instruente, solidavimus, responsum formas vel ex sacrarum Scripturarum disciplina, vel ex Patrum regulis colligentes. De quibus etiam Gregorius VII. 1. 3. epist. 10. Videntes ordinem Christianæ Religionis multis jam labefactatum temporibus, & principales ac proprias lucrandarum animarum causas diè prolapsas, & suadente diabolo concalcatas, concussi periculo & manifesta perditione gregis Domini, ad sanctorum Patrum Decreta, doctrinamque recurramus, nihil novi, nihil ad inventionem nostram statuentes, sed primam & unicam Ecclesiasticæ discipline regulam, & vitam Sanctorum viam, relicto errore, repetendam & sectandam esse censuimus. Neque enim aliam nostræ salutis, & æternæ vitæ introitum Christi ovibus... ab ipso monstratum... ab Apostolis prædicatum, & à SS. Patribus observatum, in Evangelica, & in omni Scripturarum divinarum pagina didicimus.

57 Isti sunt, de quibus Concilium VIII. Constantinop. act. 10. c. 1. Ut rectam regiamque divinam justitiam viam sine erroris offensa teneamus, sanctorum Patrum correctæ, velut inextincta quadam, semperque ardentes facies, sequenda sunt.

58 Isti sunt, à quibus, tamquam ab Apostolicis viris, conversationis in Ecclesia percepimus ordinem (inquit Damianus epist. 18.) sicut ab Apostolis fidem. Et ideo propemodum non mutamus discipline

modum ab ipsis traditum, sicut illibatam tenemus fidei fundamentum.

Isti sunt, quos adimplevit Dominus Spiritu sapientie & intellectu, Eccli. 15. ut minus sapientes per ipsos, tamquam caecuti ad hoc lumine perfusos, instruerentur.

Isti denique sunt, quos Pastores, Magistros & Patres Ecclesia agnoscit. Quos ipsamet Concilia consulerunt, velut Iudices & Oracula, ex quibus definitionum suarum regulam deprompserunt, quoque coluerunt, velut fidelissimos testes Ecclesiasticæ Traditionis, & velut replendentia sidera, in quibus Sol iustitiæ puriores radios suos expressit, ut Nazianzenus ait orat. 1.

Nihil proinde iustius, nihil rationabilius, quam 61 ut nos quoque ad ipsos recurramus, atque ex ipsorum oraculis discamus, quid hisce in disceptationibus tenere debeamus. Agitur enim de re inter graviores gravissima, à qua innumerabilium poenitentium, & Confessoriorum salus æterna dependet. Cujus profecto decisis securè non petitur ex iis Authoribus, qui sua morum dogmata potius depromunt ex humanis fallacis ingenii sui rationibus & ad inventionibus, quam ex traditione, qua per sanctos Patres, velut canales fidelissimos, ad nos derivatur.

CAPUT X.

Post sanctos Patres, traditionem, Ecclesiæque hisce de rebus sensum, discere nos oportet potissimum ab Episcopis, aliisque Prælati, qui primas in Ecclesia partes obtinent.

Veritas assercionis ex Scripturis, Patribus & Conciliis certissima est: utpote ex quibus constat Episcopos regere Ecclesiam Dei, Act. 20. suarumque Ecclesiarum jure divino esse Doctores, 1. Timoth. 3. quibus à Deo commissum est, ut attendant sibi & doctrinæ, ibidem c. 4. alioque exhortari in doctrina sana, & eos qui contradicant arguere, ad Tit. 1.

Iptos etiam Spiritus sanctus Apoc. 1. 2. & 3. vocat Angelos Ecclesiarum. Et iidem à SS. Patribus appellantur Ecclesie luminaria. Hieronymus adversus Lucifer. Nicolaus I. epist. 21. ad Episcopos Synodi Sylvanæ. Apostolorum Successores. Concil. Trid. sess. 23. c. 4. Et apud nos locum Apostolorum tenentes. Hieronymus epist. 85. ad Evagrium. Et 54. ad Macellam. Quibus tota scientia, potestas & auctoritas Sacerdotii à Deo optimo, Authore & principio omnis mysterii & perfectionis data est. Dionysius de Eccles. Hierarch. c. 5. Quique, ut lib. 5. Capitular. c. 163. ex Prospero dicitur, sunt divine voluntatis Iudices, Ecclesiarum Christi post Apostolos fundatores, fidelis populi duces, veritatis assertores, prave doctrine hostes, ... columna firmissime, quibus in Christo fundatis innititur omnis multitudo credentium... dispensatores regie domus, quorum arbitrio in aula Regis æterni dividuntur gradus & officia singulorum, &c.

Iptos denique tamquam legitimos controversiarum fidei & morum Iudices, Concilia & Patres semper agnoverunt. Teste namque Hieronymo Apolog. in Rufin. 1. 2. Origenis errores per Ægypti & Palestine Episcopos primam, deinde per S. Epiphanium & Theophylum, Episcopum Alexandrinum, proscripti fuerunt. Teste quoque Eusebio l. 2. Histor. Eccles. c. 22. 23. & 24. Paulus Samosatenus à vicinis Episcopis condemnatus fuit. Sicut & Arius ab Alexandro Episcopo Alexandrino, teste Theodoro l. 1. Hist. Eccl. c. 2. Necon Eutyches à proprio Episcopo Flaviano. Cujus sententiam approbavit Concil. Calcedonense. In quo Legati S. Leonis Papa